ſcrutandi ſtudio cum hoc noſtro comparari nullum queat aliud, *Experimentale Seculum* ſuo quodam jure appellando, cur amabo in unum Stagiritam hodiè non liceat, quod ipſi licuit in omnes alios, antiquitatis clypeo non minus munitos? Cur nunc ſit interdictum ſciendi cupidis, augendarumq; ſcientarum ſtudioſis, quod tunc non licuit tantum, ſed & immortales quoq; laudes peperit Ariſtoteli? quædam inquam ſuperiorum ſeculorum inventis cogitatisq; ſuperaddere, aliqua ex obſervationibus & experimentis certioribus immutare & corrigere, ex antiquis ac modernis optima quæq; in Philoſophiæ melioris ſyſtema colligere, à poſteris porrò magis magisque eâdem libertate perficiendum expoliendumque? Sequamur ergo inter cœtera in hoc etiam inſignitisſimum Philoſophum, qui non exemplo tantùm ſuo nobis præivit, cum maximè, cùm ἀμφοῖν ὄντοιν φίλοιν (τῆς τε ἀληθείας ut Andron. Rhodius interpretatur, καὶ τοῦ περὶ τῶν ἰδέων εἰπόντος, h.e. Platone Magiſtro) ὅσιον judicaret προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, ſed conſilium quoque ſic philoſophandi ſub init. Alpha Min. in Metaph. his expresſis verbis dedit prudentisſimum: περὶ τῆς ἀληθείας θεωρία, τῇ μὲν χαλεπὴ, τῇ δὲ ῥᾳδία, σημεῖον δὲ τὸ μήτε ἀξίως μηδένα δύνασθαι τυχεῖν αὐτῆς, μήτε πάντας ἀποτυγχάνειν, ἀλλ' ἕκαστον λέγειν τι περὶ τῆς φύσεως, καὶ καθ' ἕνα μὲν μηδὲν ἢ μικρὸν ἐπιβάλλειν αὐτῇ· ἐκ πάντων δὲ συναθροιζομένων γίνεσθαί τι μέγεθος. h. e. *Contemplatio veritatis partim difficilis eſt, partim facilis: indicio autem, quòd neq; dignè quispiam aſſequi eam* (ſolus puta) *poſſit, nec omnes* (tamen ab ea) *aberrent, ſed unusquisq; aliquid de natura dixerit* (& rectè quidem, ut Alex. Aphrod. in comment. interpretatur, dixerit) *& quod ſinguli quidem nihil aut parùm ad ipſam conferant, ex omnibus autem* (iis quæ quisque rectè dicit) *congeſtis magnitudo quædam fiat.* Hanc igitur veræ cognitionis ſummam ex iis ut colligamus, quæ ſparſim ab aliis rectè & ad veritatem propiùs dicta ſunt, uti tacitè jubet, ita quo animo in ſcriptorem quemque quaque mo-